



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De vtraque specie in S. Cœna 72

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**

In Apolo-  
gia ad Ab-  
batē Cli-  
macēsem.

derabatur, quàm verbum & mandatum Domini? Non igitur licet ex scelerata pulpa, vt inquit Persius, iudicare quid Deo placeat, & sacrosancta eius sacramenta ornet: sed ex verbo Dei. D. Bernardus existimat Poëtam istum scribentem contra Ethnicos, maiori cum vituperio & opprobrio nobis obiciendum esse, ac dicit, Episcopi, quid sibi vult aurum in sacrario? Verum satis de his dictum est in Articulo de bonis operibus.

Quinta pars.

*De Communionē sub vtraque specie.*

*Arguere abusus, non est condemnare Catholicam Ecclesiam.*

*De dicto Cypriani Epistola 3. lib. 2. vtiq̄ ille Sacerdos vice Christi fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur.*

C A P. LXXII.



In hoc articulo quadruplicem accusationem instituunt Aduersarij. Cuius primum caput est, Quod liber Reformationis vniuersam Christi Ecclesiam damnet, quæ laicis, sacramentum illud longo iam tempore sub vnâ tantum specie porrexit: tum quod dicit, Hunc abusum tacitè irrepsisse.

Alterum est librum Reformationis sacramentum istud duo sacramenta, eadēque panem & vinum appellare, & aliàs de hoc ita loqui, ac si sub altera sola specie non contineantur simul corpus & sanguis Domini.

Tertium librum docere, quod oporteat nos apud sacramentum istud omnia & singula necessariò facere, quæ Christus in Cœna sua peregit, nec ab eo vllis modis recedere, licet etiam Angelus de cœlo, aut Apostolus aliquis aliud doceat vel prædicet, nec curandum esse, quid nomine Cœnæ aut missæ antehac toto mundo obseruatum sit, aut modò obseruetur. Et quod hucusque ignoranter in hac sacratissima actione actum sit, aliter quàm ordinauerit.

Quartum librum torquere sanctum Cyprianum aduersus Catholicam Ecclesiam, quasi præsides Ecclesiarum in eo, quod sacramentum sub altera specie hucusque porrexerunt, ministerio & vice Christi non sint perfuncti: quin potius mandatum eius abiecerint, propter traditiones hominum, atque ita se constituerint reos corporis & sanguinis Christi.

*Defensio Libri, sumpta ex verbo Dei, & Obseruatione veterum Ecclesiarum.*

**A**D primum caput huius Accusationis. Testatur quidem liber Reformationis abusum esse, quod in S. Cœna non ambo sacramenta omnibus fidelibus ministrantur, iuxta institutionem & mandatum Domini: atque etiam affirmat eum tacitè irrepsisse, & à nullis Patribus tale quid ordinatum fuisse. Priorem partem quilibet Christianus facillè agnoscit, qui nouit abusum esse quotiescunq̄ a liquid aliter vsurpatur, quàm